

Alledits, David Heinrich:
De singulari dignitate
sacerdotum apud veteres.
Hamb. 1742.



84



8402

46

18.

D · B · I
 DE
SINGVLARI DIGNITATE
SACERDOTVM
 A P V D V E T E R E S
 IN
 AMPLISSIMARVM RERVMPVBLICARVM
 ADMINISTRATIONE
 DISSERIT
 DAVID HENRICVS KLEEDITZIVS
 AA' LL' C

VITEMBERGAE

EX OFFICINA SCHLOMACHIANA



26672

9



SIMVLQVE
VIRO PLVRIMVM REVERENDO
AMPLISSIMO DOCTISSIMO
DOMINO
M· DAVIDI HENRICO
KLEEDITZIO

DIACÓNO AD AED· SS· PETRI ET PAVLLI
APVD GORLICENSIS MERITISSIMO

PATRI SVO VENERANDO
NATALEM IPSI DIEM

III· NON· FEBRVARIAS A· R· G· ∞ 19CCXLII

GRATVLATVS



E I D E M
HOC EXERCITATIONIS ACADEMICAE SPECIMEN
ET
PIETATIS SVAE MONVMENTVM
PRECIBVS
PRO IPSIVS SALVTE SEMPITERNA
DEO O·M·PIE NVNCVPATIS
VT DIVTISSIME AC FELICISSIME
FAMA NOMINIS NON INTERMORITVRA
VIVAT
QVA FILIVM DECET
ANIMI RELIGIONE
CONSECRAT

FILIVS OBSEQVENTISSIMVS
DAVID HENRICVS KLEEDITZIVS

DE
SINGVLARI SACERDOTVM
DIGNITATE

Haud raro, quod mirere, tam nefariae, et tam corruptae mentis, homines inueniuntur, ut, nescio, qua, prauitate ducti, tum demum quantiuis sibi pretii uideantur esse, cum, cuniculis quasi, tecte, publiceque, actis, labefactare possint, non aliarum tantum sanctiorum doctrinarum, sed uel ipsius etiam euidentissimae profecto ueritatis, quod Deus sit, qui res mundanas, et creauerit, et gubernet, fundamenta. Ita memini, fuisse, saeculis superioribus, tantae prauitatis Iordanum Brunum in Italia, ut uel ipsi cacodaemoni laudationem habuerit, propterea, iure, meritissimoque, Patrum Venetorum iudicio, ad ignem amandatus. Memini, fuisse Iul. Caes. Vaninum, improbitate mentis, non tantum non secundum Bruno, uerum etiam eo superiorem, ita quidem, ut, Tolosae in iudicium uocatus, monitusque, ut ueniam facinorum precetur a Deo, Rege, et iudicibus, publice profiteatur, Quam precabor ueniam a Deo, cum negem, quam a Rege, in quem nihil sceleris admisi, quam a iudicibus, qui iniurii in me sunt, meque uolunt,

*Baumeisteri
Progr de Sa-
tyr infel Sp 1*

*Heins Hist
Eccl. P. II
pag. 427*

uolunt innocentem concremari. Memini, fuisse Spinozam, memini, fuisse alios, qui, quid ipsi sentiant, etiam editis in uulgus libris, demonstrant. Nihilominus tamen ego quidem persuadere nullo modo mihi possum, ut existimem, esse, utar Graeca uoce, *αθεος*, eosque mente uictos, quamuis etiam hoc ipsum ingenue profiteri uideantur. Demonstrandum illud in praesenti mihi non sumo, licet argumenta prostant, certe non obscura, quibus poterat a me euinci. Interim tamen hoc affirmo, id quod etiam uerissimum est, nullam, in toto hoc terrarum orbe, gentem inueniri, quae plane nullum Deum colat, quae plane nullum caeli Numen ueneretur. Non quidem eidem omnes, et unico, et uero, et aeterno, sacra faciunt, contra ea pleraeque, fata rerum, aliae, propter ea, quod Deum oculis non spectant, ad huius similitudinem, quem cernant, et quem uenerentur, sibi fingunt, aliae, quae contra rationem esse putant, ut in una, eademque, essentia tres personae locum habeant, Deum quidem, sed, nec ipsae uerum, colunt, aliae, uel, quos colant, Deo iungunt, uel alio modo, a ueritatis tramite abductae, errant, in quo minime errandum erat, uidelicet in Deo colendo, atque obseruando. tamen, quicquid huius tandem sit, haec omnia profecto sunt eiusmodi, ut non tantum non obstant his, quae sunt a me pronunciata, uerum magis etiam, si quid deesse illis uisum fuerit, confirment. Etenim, omnes tamen Deum colunt, seu falsus ille fuerit, seu uerus. Horum nihil ad me pertinet. Sufficit, quod colant. Ut, cum multa sint, quibus hoc probari poterat, tamen plurima tacitus praeteream, patet hoc ex eo maxime, quod nulla datur respublica, neque, quae

quae alioquin immanitate belluas exaequat, in qua non duplex ordo ciuium reperiatur, alius sacer, alius profanus. Atque in hoc quidem nihil differunt, cum barbaris, respúblicae, adactae Christi, Seruatoris, sacramento. Habes, quam ob rem complures eruditissimorum hominum in hanc sententiam ingrediantur, ut, uel inde, planum fieri, existiment, quod sit aliqua, ianata nobis, Dei Optimi Maximi notitia. Mirandum enim foret, quid sit, quod, in tanto honoris fastigio, sint, apud omnes gentes, constituti, qui Dei, uel Deum, ut complures malint, sacra administrant, nisi ipsae gentes Deum uenerarentur, ut fontem, et originem, bonorum, malorumque uindicem. Et uerissimum hoc est, non datur aliquod imperium, non datur regnum, non datur respública, in quibus non praecipuam quandam habeat sacer ordo dignitatem, et in quibus non primum ille a Rege, uel Principe, locum occupet. Agam in praesenti, ut, quoad eius fieri poterit, hoc ipsum, exemplis, ex patrum potissimum memoria repetitis, copiosius paullo commonstrem, atque adeo, ex ipsa, antiquissimarum non minus, quam amplissimarum, rerumpublicarum forma, explicem, quanta omni aetate extiterit sacri, uulgo ecclesiastici, ordinis dignitas, quantus honor, quanta praelatio

Vti, inde a remotissimis temporibus mea capiat initium oratio, constat inter eruditos, eiusque rei testimonia ipsa sanctiora habent oracula, quod principio, in primis ante Mosen, principem, ac ducem, Israelis populi, qui natus maximi fuerunt in familia, obtinuerint, non regnum tantum, non tantum duplicem patriae partem

*2 Paral VI 2
Deuter XXI
17*

- Gen* XLIX³ partem hereditatis, uerum, quod maxime huc facit,
Zeibichl Bibl etiam cum regno, sacerdotium. Proinde, adhuc uiuo
Exeg ad Gen patre, rem sacram procurare, ante maximum, nemini
*XXV*³⁴ licebat, neque etiam finito patre, quam diu una uiue-
 bant fratres, etiam, si reliqui fratrum sacerdotes essent.
- Gen* XXXV²² Tanto iure, tantaque dignitate, ipsum se, inexplabili
*2 Paral VI*¹ lubidine, praestiterat indignum Ruben, primus ex Iaco-
Gen XLIX³ bo, amplissimae gentis patre, ac propter ea, suo iure,
 sacrorum princeps, et imperii. Pari enim, quod aiunt,
Gen XIV¹⁸ passu, cum ipso imperio, sacerdotii ius ambulabat. Inde
 est, quod Melchisedek Rex Salemi sit, neque Rex tan-
 tum, uerum etiam sacerdos summi Dei, quamuis, sine
Zeibichl Bibl dubio, plerique, ipsi, parendi lege, subiecti, a uero ueri
Exeg ad l^c Dei cultu essent alieni. Ita Abrahamus ipse, primus in
 familia Tharachi, ex Vr, cum Lotho, fratris filio, e-
Gen XII⁷⁸ gressus, aras struit Deo immortalis, concione habita, de
 summi, et aeterni, Dei nomine, iustitia, benignitate.
 Ita Iacobus, nepos Abrahami, Isaaci filius, maior, non
ibid XXV³¹ natu quidem, tamen, dolo suo, et Rebeckae matris, di-
*XXVII*⁶ cam, an desplicatu Esau, fratris, ac uere, si ab Abraha-
ibid^{seqq} XXXIII²⁰ mo discesseris, auctor, princepsque, Iudaicae gentis, aram
 dedicat, in qua offert sollempne illud, quod, in Mesopo-
 taniam profectus, Deo uouerat, sacrificium, atque ea
 ratione, rebus diuinis peractis, nomen sui, patrumque
 fuorum, Dei ueneratur, qua potest, et, qua debet, animi
 religione. Atque haec quidem ante Mosén, atque ante
 Israelis ex Aegypto profectionem, gesta sunt. Post ubi
 uero, Mose, et Aharone, ducibus, uirtute praepotenti,
 ex infami Aegypti seruitute, Israel in libertatem uindi-
 catur, alia fit rerum facies. Etenim, uti maxime ex-
Exod XII²⁹ tremae illius in Aegypto, his, qui primum erant geniti,
 illatae

illatae calamitatis, illustre, ac perpetuum, ipsos inter
 Israelitas monumentum statuatur, quicquid natu maxi- *Exod. XIII*
 mum sit, sibi Deus sacrum esse iubet, seu homo fuerit, *12. seqq*
 seu bestia. Deinde legitur, repudiato Rubene, Leui,
 ex Iacobi prole tertius, atque huic sacrorum cura de-
 mandatur. In primis Aharoni, posterisque eius, tam fe- *ibid. XXVIII*
 licibus esse licet, ut, constituti sacerdotes, quotidie
 primum in tabernaculum, tum in templum, ingrediantur,
 thus offerant, cetera, quae ad diuinorum rerum procu-
 rationem pertinerent, administrent. Quanta uero fuerit
 summi in primis sacerdotum dignitas, et quanta excel-
 lentia, opinor, inde primo loco manifestum est, quod illum
 Hebraeorum alius, uel ipsi populo, aequalem, alius ex- *Maimonides,*
 cellentissimum, et dilectissimum, ante omnes esse, iudi- *et Aben Esra,*
 cat. Praecerat hic sacerdotibus, ipsi sacerdotio, et rebus *apud Lun-*
 omnibus, quae ad sacra faciunda pertinebant, ita quidem *dum, in Iud.*
 uti, quamuis, cetera, Rege inferior, tamen in sacris ne- *Heiligth. lib.*
 mini cederet, quin immo in his, si quid geri Rex uel- *III. c. XI*
 let iniquius, impune posset ipsi Regi repugnare, si Rex *2. Paral.*
 non esset, tum uero summus sacerdotum rerum omnium, *XXVI*
 domi, forisque, curam gerebat, sacrorum curandorum,
 reipublicaeque ordinandae. Habes exempla, ante Reges;
 in Eli potissimum, qui annos quadraginta Israelii praefuit, *1. Sam. III. 13*
 Regibus, per Nabuchodonosorem, exactis, et post cap-
 tuiuitatem Babylonicam, in Iosua, Pontifice, cui Deus *Sachariah*
 ipse coronam auream imponi iubet, in Iaddo, Iuda Mac- *c. VI. 11*
 cabaeo, Eleazare, Onia, Aristobulo, aliis, quos enarrare *libb. Macc*
 longum foret, omnibus tamen sacrarum, atque profana-
 rum, rerum principibus. Ipse praefuit magno illi con-
 silio, quod Sanhedrin Iudaei nominabant, et quo incon- *Lund. c. 1.*
 sulto, ne a Rege quidem, maiorum rerum quicquam rite *c. XII*
 B
 geri

geri poterat, et prouidenter. et praeterea ubique locorum summa fuit summi sacerdotum auctoritas, unde, *1^a Reg' II 22* cauffis, non omnino nullis, ductus, timet sibi Salomo, Rex, ab Adonia fratre, cum a partibus ipsius Abiathar fiat, summus Pontifex, ac propter ea sanctorum rerum antistes. Si moreretur, non septem, ut uulgo fieri solebat, sed triginta dies, lugebatur, idque ab uniuerso populo. Vt breuius sim, hoc non honori tantum summi sacerdotum tribuebatur, uerum omnes etiam reliqui sacerdotes, et Leuitae, sacerdotum, si res ad uerum exigatur, serui, ceteris Israelitis anteferebantur, et, uel unum hoc, esse sacerdotem, satis uidebatur ad laudem, nominisque famam, consequendam. Haecenus de Iudaeis. Venitur ad Graecos, qui, in Diis fingendis, populum superiorem habuerunt profecto neminem. Poterat quidem prius de Aegyptiis exponi, a quibus Graeci cultum acceperunt. Neque enim apud illos defunt, satis idonea, testimonia, summae, ac praecipuae, quae sacerdotibus fuit tributa, dignitatis. Rex horum ipse fuit numeratus in sacerdotibus, si fides est habenda Platoni, qui, Apud Aegyptios non licere, dicit, Regem absque sacerdotio imperare. quin immo, si, ex alio genere, quispiam ui regnum usurpet, cogi illum, fascibus potitum, sacris initiari, ut sit sacerdos. Adhaec Aegyptiorum sacerdotes, in primis Memphitici, tanto, etiam supra Reges, euecti fuerunt fastigio, ut apud illos fuerit ius, mortis, uel Regibus, per internuncios, imperandae, alteriusque, in mortui locum, constituendi. Sed enim ea, breuitati studiosus, silentio inuoluo. Potius ad Graecos, maximam, amplissimamque, gentem, redeo. Multos illi Deos acceperunt ab Aegyptiis, ipsi, mundum contemplati, summa rerum omnium uarie-

*Land' 1^a c^o
c^o XI*

*Land' 1^a c^o
c^o LXII*

*Polis' f. dial.
de regno pag.
183*

*Pierius Hie.
rogl' lib' XX
c^o 20*

*Plato in Cra-
tylo pag 263*

uarietate, ordine, ac maiestate, in admirationem rapti, solem, lunam, terram, stellas, caelum, Deos esse putarunt, denique uirorum fortium memoriam, acuendae uirtutis gratia, aut, quo lubentius, reipublicae causa, periculum adiret optimus quisque, consecrarunt honore Deum immortalium. Inde tantus fuit Deum apud Graecos apparatus, quantus, ante hos, non apud aliam gentem. Quae cum ita sint, ut sunt omnino, mirum profecto esse non poterit, tot apud illos extitisse sacra procurantibus, ex utroque sexu, ordines. Fuerunt ea ratione *αρχιερείς, αρχοντες, βασιλεις, ιεροδιδασκαλοι, βρυτανεις*, alii complures, feminae, Dearum in primis, Sacerdotes, *μελισσαι*, Cereris, *θυσιαδες*, Proserpinae, *κερνοφοροι*, Rhaeae, *υπεκκλαυσριαι*, Mineruae apud Cilicas, cet. Illi uero, illaeque, Sacerdotes omnes deligebantur ex nobilissimis familiis, tanta sacerdotii existimatione, ut, compluribus in locis, ipsi dignitati regiae aequalis haberetur. Athenis procuratio sacrorum summis magistratibus committebatur. Spartanorum Rex sacerdos est, et imperator, ac prius, quam ad bellum faciendum proficiscatur, Ioui Ductori, Disque ceteris, immolat, ut feliciter eueniant, quaecunque, uel suscipienda, uel perficienda, uideantur. Ille Deli

Cic. de nat. Deum, lib. II

*Plur. Quaest. Rom. pag. 291
Plato politic. pag. 183
Xenophon de rep. Laced. pag. 688*

Rex Anius, Rex idem hominum, Phoebique Sacerdos, *Virgil. Aen. lib. III. w. 80*
Vittis, et sacra redimitus tempora lauro
Occurrit

Themistocles, at, quantus ille belli dux, et imperator, *Athenensis* *δικοσοφ* dignitatem ipse sibi sumit in Magnesiae ciuitate. Nemo, nisi ingenuus, in sacerdotium cooptatur, *lib. XII*

batur, nemo, nisi corpore, ac mente, sanus, nemo, nisi integer uitae, scelerisque purus, nemo, nisi, qui esset aetate satis matura, ut ne horum uitio, uel natalium, uel corporis, uel uitae, uel aetatis, honori sacerdotum quicquam detrahatur. Similiter Romanorum sacerdotes plerique legebantur ex Patribus, et ex lege Numae, non, nisi

Dion. Hal.
lib. II. pag. 92

ὑπερ πεντηκοντα ετη γεγονοτες. Neque enim in hoc, neque in Dis fingendis, Romani Graecis inferiores esse uoluerunt. Coheruerunt illi Deos, alios, quos a maioribus acceperant, alios, ex Graecia asportatos, alios, quos ipsi Deum loco habuerunt, ut ne clarissimorum hominum memoria, ac fama, moriatur. Inde neque sacerdotes Romanis defuerunt, atque illi quidem amplissimae dignitatis, seu, quod arctiorem cum Diis consuetudinem habere, seu, quod, ad bona, humano generi, a Diis immortalibus, impetranda, maxime accommodati putarentur. Pontificem Maximum Numa legit ex Patribus, cui sacra omnia, exscripta, exsignataque, attribuat, quibus hostiis, quibus diebus, ad quae templa, sacra fierent, atque unde in eos sumtus pecunia erogaretur, cuius denique scitis omnia publica, priuataque sacra, subiiciat. Haec

lib. I. c. 20
Nieupoort
Antiqu Rom
sect. IV. c. II
S. 2

Gell. lib. V
c. 19. Liu. lib.
VIII. c. 9
Nieupoort
t. c.

Liuius. Initio creatur ex solis patriciis, usque ad T. Cornicianum. Summam obtinet in rebus sacris, et in personas sacras, potestatem. Prouidet, ne quid detrimenti capiat religio. Comitibus sacerdotum interest. neque minus arrogationibus. Verba praedit in actibus sollempnibus. Plura exercet, ex quibus singularis ipsius auctoritas, et potestas, intelligitur. Atque inde, opinor, manifestum est, quid sit, quod Lepidus, Triumuir, eoque extincto, Octavianus, Augustus deinceps appellatus, hoc sacerdotium susceperit, neque Augustus tantum, uerum omnes etiam,

etiam, qui, post Augustum, Imperium obtinuerunt. Igitur, exactis, per Constantinum M. falsorum cultui Deum addictis, Galeris, Maxentis, Liciniis, cum iam ipse in Christi, Seruatoris, militiam nomen dedisset, tamen se appellat Maximum Pontificem, perinde, ac reliqui, ad Gratianum usque, Imperatores. Loquitur codex Theodosianus. Huic Maximo Pontifici iungo Flaminem Dia- *Liu' lib I c 20*
 lem, ne sacra regiae uicis desererentur, a Numa constitutum, tanta simul dignitate, ut insigni eum ueste, et curuli, regia sella, adornaret. Habet ille lictorem, qui fasces praeferat, monumentum potestatis regiae praecipuum. *Plut' Quaest. Rom' pag' 113 in Festus*
 Introit in Senatum C. Valerius Flaccus, uetustumque Sacerdoti ius repetit, datum, cum toga praetexta, sella curuli, et flaminio. *Liu' lib XXVII c 8*
 Vincitur, huius aedes ingressus, soluebatur. Reum, si ad eius pedes supplex cecidisset, eo die uerberari, piaculum erat, et quae sunt reliqua. *Nieupoort Sect' IV c II § 12*
 Ad huius dignitatem proxime accedebat Flamen Martialis, semper *Liu' lib I c 20*
 e patriciis creatus, similiter fere, atque Maximus Curio, qui, ante C. Mamilium Vitulum, atque ante A. V. C. *Liu' lib XXVII c 8*
 XLIII, nisi ex Patribus, creatus non fuit. Neque minor fuit ceterorum, ceterarumque, sacerdotum dignitas, in primis Virginum Vestalium, quae praetexta utebantur, reum, obuiam factum, supplicio liberabant, lictorem habebant, ius testamentum condendi, adhuc minores, ius trium liberum, cet. *Nieupoort Sect' IV c II § 17*
 De Germanis quidem confirmat C. Iul. Caesar, rerum, abs se excellentius gestarum, scriptor, quantum elegantia uerborum, tantum in scribendo prudentia, concelebratus, quod neque Druides habeant, qui rebus diuinis praesint, neque sacrificiis studeant. Sed tamen constat, non ex Tacito solum, uerum etiam ex aliis antiquitatis prisco monumentis, quod *de M' G c VII Schurzst. de Ger-*

- uet. Druid.* Germani, sicut Deos coluerunt, solem, lunam, Vulca-
instit. Diff. num, alios, ita quoque sacerdotes, eosque trium gene-
S. 7 rum, uidelicet Druidas, Bardos, Vates, habuerint, sum-
Caes. 1. c. mo apud omnes honore. Gallorum Druides, quorum
Strabo lib. IV fuit in Britannia reperta disciplina, diuinis rebus inter-
Caes. B. G. erant, sacrificia publica, ac priuata, procurabant, praere-
lib. VI. c. 13 terea de omnibus controuersis publicis, priuatisque, con-
 stituebant, et, si quod admissum facinus, si caedes facta,
 si de hereditate, si de finibus, controuersia erat, iidem de-
 cernebant, praemia, poenasque, constituebant. Neque
 minor fuit sacerdotum in Germania auctoritas, cum gentis
 essent nobilissimae. Exemplum est in Diuitiaco, Aeduo,
Cic. de diuin. Druide, at, quantus ille fuerit, ex Caesare, mea quidem
lib. 1 sententia, satis intelligitur. Reges antiqua Germania non
Caes. lib. I tulit, quanquam Tacito uidentur Reges ex nobilitate,
c. 16 duces ex uirtute, sumi. Etenim Germani perpetuo fue-
de M. G runt libertatis appetentes, ita quidem, uti nihil supra.
c. VII
Tac. de M. G Antiquissimis temporibus aequalis quisque erat alteri, et
c. XI in comitiis, de minoribus principes, de maioribus omnes,
 consultabant. Solis sacerdotibus tantum fuit dignitatis,
 potestatisque, tributum, ut ipsi essent loco, et auctoritate
 Regum, quamuis carerent nomine. Soli sacerdotes,
lib. V Diodoro monente, *παν το πληθος ηχον υπηκοον.*
de M. G Adiice, quae Tacitus commemorat, ubi, Neque animad-
c. VII uertere, inquit, neque uincire, neque uerberare quidem,
 nisi sacerdotibus, permissum. Quid itaque. uidelicet ob-
 tinuerunt sacerdotes, apud ueteres, tum Gallos, tum
 Germanos, praecipuam quandam dignitatem, et, cum
 ipsi Reges, principesque, non haberent, omnino summam,
 certe, multo maiorem dignitate principum. Solis enim
 sacerdotibus permissum erat, ea perpetrare, quae alioqui,
 nisi

nisi principum iussu, et auctoritate, perpetrari non possunt. quanquam illa non in poenam, sed, quasi Deo imperante, ab ipsis geri credebantur. Atque hic quidem mos, a maioribus, tanquam per manus, traditus, nostra etiam aetate obtinet, in summorum omnium regnorum, et imperiorum, administratione. In sacro in primis Romano Germanico Imperio, nihil, in quo positum est aliquid ad Imperium seruandum, ciuesque bonis cumulandos, uel suscipitur, ubi non anteferantur sacri Ordines profanis. In illustri Principum Electorum Collegio primatum tenent Archi-Episcopi tres, et Cancellarii, Moguntinensis, per Germaniam, Treuirensis, per Galliam, et Arelatense regnum, per Italiam, Colonienfis. Similiter in comitiis Imperii, quae Ratisbonae cernas, ea ratione inter se sunt distributi Ordines, ut praecipuae auctoritatis locum, in suis quisque sedibus, occupent sacri Ordines Imperii, Archi-Episcopi, Episcopi, et alii, sanctioris loci. Quae quidem omnia peruestigare, si esset animus, fateor, amplissimus aperiretur mihi campus differendi. Sed enim sufficiat haec protulisse. Nostrum tantum erat, exemplis quibusdam, ex antiquissimarum, et amplissimarum, rerum-publicarum procuracione, repetitis, demonstrare, quo fuerint sacerdotes, apud ueteres, honoris fastigio, et quanta dignitate, constituti

*Tac' l. 6**Aur' Bull' c' III. S' 2**Resp' German' Elzeuir' T' II pag' 150*

Ea uero quando paullo accuratius contemplor, omnino habeo, PATER OPTIME, ac DILECTISSIME, quod TIBI pariter, ac mihi, gratulandum esse, putem. TIBI, qui iam quinque lustra, amplius, sanctioris muneris conditione perfungeris. mihi, qui, TE Patre, natus, gloriari possum, eadem felicitate, qua Iose-

*Antiqu. lib.
XVI c. II*

Iosephus, antiquitatum suae gentis, scriptor, haud raro gloriatur, sacerdotali genere se esse oriundum. Si quid est, quod, pie, atque omni animi religione, fufis precibus ab immortali Deo mihi expetam, profecto tantum non unicum hoc est, ut Tua dignitate, PATER OPTIME, adhuc diutissime perfruaris, saluus, et incolumis, una, cum MATRE DILECTISSIMA, rebus familiae constanter florentibus, coetui diuiniore, Tuis omnibus, ac nominatim mihi, filio obsequentissimo, obseruantissimoque, seruatus. Habes, VENERANDE PATER, quae, Natalem diem, octauum et quinquagesimum, quod felix, faustum, fortunatumque, sit, recolenti TIBI, comprecor, habes uota, breuia licet, profecta tamen mente, sincera, ac fuci omnis, colorisque, experte. Quae si ab Optimo, Maximo, Deo impetrauero, eueniet, ut mecum, totaque cum Familia nostra, praeclare agi, putem. Ceterum faxit Deus, ut publice, priuatimque, habeamus semper plurima gratulationum argumenta

S · D · G

ULB Halle

007 417 519


3



Von 8



8402



B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

D · B · I
DE

RI DIGNITATE
ERDOTVM

V E T E R E S

IN
VM RERVMPVBLICARVM
NISTRATIONE

ISSERIT
RICVS KLEEDITZIVS
AA' LL' C

EMBERGAE

INA SCHLOMACHIANA



26672

116.

9